



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè
fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentiis Jesu Christi Dei-Hominis

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723

VD18 80217931

Censura & Approbatio Theologorum Ordinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45509




Censura & Approbatio Theologorum Ordinis.

X commissione Rmi P. Michaëlis Angeli à Ragusa, F.F. Min. Capucino-
rum p.t. Generalis dignissimi, per A. R. P. Gorgonium Molspurgensem
Bavariae Ministrum Provincialem nobis insinuata & injuncta, nos infrà
scripti volumen secundum Consultationum Theologico-Spiritualium, à R. P.
Isaaco Oxoviensi Provinciae nostrae olim Diffinitore ex Gallico idiomate in
Latinum clara ac grata methodo conversatum, accuratæ disquisitione subje-
cimus. Non est hic primo libro Latinitate jam donato utilitate, scientiâ &
labore secundus, sed nobilissimus æquè partus felicis ingenii, Theologicô pro-
fundus sensu, & omnigenæ eruditionis refertus eloquiō, qui de Excellentiis
Dei Hominis conformiter agit & excellenter, deambulans quidem humiliter
cum eo super terram, sed mentem in simul erigens ad altissima, quæ latent
in Christo, perscrutanda mysteria, lectorēmque suis discursibūs opportunè de-
ducens ad captanda sanctioris vitæ documenta, ita, ut ambiguum valde sit,
an tantopere illustratus Auctor, qui miseruit utile dulci, intelligentiæ satisfaciat
magis, an pietati? Cùm igitur Opus hoc adeò præclarum, & excellens, om-
nibusque absolutum numeris, nil contra fidem Orthodoxam ac bonos mo-
res contineat, immò dignissimum à nobis repertum sit, ut non solum à Præ-
ceptoribus & Magistris ob insertas subtilissimas quæstiones studiosè pervolva-
tur, verùm etiam ob pinguedinem Spiritus à ferventioribus Ecclesiasticis ad
morem Prophetæ Ezechielis integrum comedatur, hinc Latinæ illius editioni
libentissimè subscribimus, quatenus ea mediante spiritualissimæ istæ atque arca-
nissimæ Consultationes ad imbuenda ubique & succendenda corda homi-
num quām celerrimè trans Gangem avolent, quæ non absque summa admir-
atione jam in lingua sua vernacula per plures orbis partes diffusæ sunt, applau-
dentibūs nobiscum doctissimo Vincentio Lyrinensi lib. advers. hærel. c. 27.
per te posteritas intellectum gratuletur, quod anteā vetustas non intellectum
venerabatur. Ita uno ore ac calamo censemus ambo.

Monachii 6. Martii Anno 1719.

F. Beatus Monac. Capucin. Diffinit.
ac Guardianus ind.

F. Bonagratia Monac. Capucin. Concionat.
Et antehac SS. Theol. Lector indig.



INDEX